






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-606884-p0002-3

DFG





1694.

1. Beierus, Adrianus: *Programma de manu Tribonianis*.
2. Beierus, Adrianus: *De nomine proprio et appellativo*.
3. Beierus, Adrianus: *De jure castrensi*.
4. Beierus, Adrianus: *De eo quod iustum est circa novum emerens.*
5. Brücknerus, Antidius Hieronymus: *Icco, quod f. T.  
dico gratia, occasione 11. 9. - 34. ff. de llt. Syllan.*
6. Friesen, Ioh. Bernhardus: *De actionibus ex contractu  
de dolo defuncti in heredem non transitorio  
ad 55.1. vers. aliquando tenuer ex contractu, iust.  
et prop. et temp. act. Programma et Discussiones  
publicum Christiani Friderici Beurballek iustiss.*
7. Friesen, Ioh. Bernhardus: *De pacto adjecto*.
8. Friesen, Ioh. Bernhardus: *De notione necessaria*

1694.

9. Lynderus, Nicolaus Christophorus : ad lectionem doctorand  
solemnam (Christiani Friderici Beerbalek). Programme  
in visitatorium.

10. Lynderus, Nicolaus Christophorus : ad lectionem doctorand  
solemnam (Johannus Isaiae Schneider) Programme invi-  
tatorium


11. Lynderus, Nicolaus Christophorus; lib. b. de : Reformatio  
procuratoris.

12<sup>a, b</sup> Lynderus, Nicolaus Christph : De bonis exceptiis.  
2 Sept. 1694 & 1702.

13. Lynderus, Nicolaus Christophorus : Experimentum  
conciliationis γράφτογγρων in decisionibus Mone-  
nis.

14<sup>a, b</sup> Lynderus, Nicolaus Christophorus : Tercisidentia, quae  
fid probasti. 3 Sept. 1694 & 1744. —





22  
1694, 6  
6

# JOH. BERNHAR- DI Griesen


U. J. & Ph. D. Consil. Assess.  
& Praefect. Jenens.

P. 311  
*de*  
*Actionibus ex contractu de dolo de-  
functi in heredem non tran-  
sitoriis.*

ad  
§. I. vers. aliquando tamen ex contractu Inst.  
de perp. & temp. act.

## PROGRAMMA.

JENÆ.  
Literis WERTHERIANIS.



LAERNISCHER HOT

INDIA. JINNOC. C. III. 23. [U]  
Annenel. S. 20. 53

in dabo th. M. R. C. 23. 24. 25.  
dum vixit p. 23. 24. 25.

fol. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.  
fol. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35.

ANNA. A. 200. 21.

REPRODUCED BY STETEX





On omnium, qvæ à majoribus constituta rationem reddi posse, dum Julianus in *L. 20. ff.* d. *LL.* respondet, Faber *ibid.* hoc de jure constituto non recepto accipit, Donellus vero *lib. I. C. 13.* non negare Julianum legem rationem habere, sed qvod eam reddere perardum sit, conjectatur. Ad classem legum; qvarum vel ratio reddi non potest, vel eam dari arduum est, alii *L. 9. d. religios.* & sunt. *fun. L. 63. de AEdil. Edit. L. 12. ff.* qui & à quib. referunt; Alii *L. frater à fratre ff. de condic. indeb. L. quod dicitur 5. d. Impens. in res dot. fact.* &c. mentionem faciunt. Antonius Matthaei *Coll. Instit. 2. Disp. 11. §. 29.* Juliani sententiam §. 28. *Instit. de Action.* illustrare laborat. Quidni & §. 1. vers. *Aliquando tamen etiam ex contractu actio contra heredem non competit, veluti cum testator dolosè versatus sit.* & ad heredem ex dolo nihil pervenit, tot controversiis implicatum eò referendum quis retur? Actionem ex contractu pœnalem intelligi Interpretum quidam, licet non affatim proflus tutantur: Qvare enim Tribonianus singulari & rarae admodum exceptioni verbum *pœnalis* adeò necessarium subtraxisset? & actionibus ex delictis provenientibus addidisset: Regulam qvin imò certissimam: *Actiones ex delictis pœnales in heredem rei non competere*, actione furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, damni injuriæ sollicitus illustrasset magnâqve stabilivisset curâ. Cum ex delictis proficentes actiones non raro pœnae persequendæ prôditæ.

(2)

Ex

Ex Contractu vero quæ nascuntur ferè omnes rei persequen-  
de causa comparatæ videntur. Planè si depositi agatur eo nomi-  
ne, quod tumultus, incendii, ruinæ, naufragii causa depositum sit  
in duplum actionem Prætor reddit, si modo cum ipso, apud quem  
depositum sit, aut cum herede ejus, de dolo ipsis agatur: quo ca-  
su mixta est actio: §. 17. Instit. d. Action. Cum itaque ab  
Imperatore traditum duntaxat, aliquando actionem ex con-  
tractu contra heredem non competere, nec ulla pœnalis men-  
tio facta actionis, quod sane si non absolute, magis tamen  
necessarium fuisset exprimere, quam in actione ex malefi-  
ciis, actionem ex contractu pœnalem hic accipi, vero per  
quam dissimile est. Et dum continente Tribonianus oratio-  
ne pergat, pœnales actiones quas supra diximus, si ab ipsis prin-  
cipalibus personis fuerint contestatae & heredibus dantur & con-  
tra heredes transeunt, ex particula suprà à principio §. actum  
de pœnibus, non vero propè extremum luculenter constat.  
Sed utrum eorum opinio, qui Tribonianum intelligere actiones  
ex contractu stricti juris voluisse contendunt, præstet,  
nunc considerandum erit. Qui hoc defendere conantur,  
L. 7. §. 1. ff. depos. & simil. contineri regulam, in b. f. solum  
judiciis obtinentem; versum vero hujus §. exceptionem ad  
contractus stricti juris spectantem, autumant. Hujus do-  
ctrinæ vero vix est assignabilis ratio, quam ad assensum flectere  
possit. Quare enim in stricti juris contractibus, liceret ma-  
gis dolosè, quam in b. f. negotiis versari? Et si quispiam tex-  
tuum pro hac causa facientium tenorem penitus examinat,  
vim legibus ferme inferri non diffitebitur: Paulus siquidem  
in L. 49. ff. de O. & A. omni sine distinctione adhibita, ex con-  
tractibus venientes actiones in heredes dantur, licet delictum quo-  
que versetur, respondet. Ulpianus pariter, dum in L. 7. §. 1.  
refert actionem depositi in heredem ex dolo defuncti in soli-  
dum dari; objectione, quod alias ex dolo defuncti teneri non  
soleamus, nisi pro ea parte, quam ad nos pervenit, rejectâ & ex-  
plosâ, differentia rationem affert, quod hic dolus ex contra-  
ctu & rei persecutione descendat. Quod fundamentum si  
ullo

ullo ex contractu ob dolum defuncti in heredes ordinarie non competet actio, prorsus vitiosum esset. Id ipsum ad- huclarius Ulpianus in L. 157. §. 2. ff. de R. I. proposuit: Ubi generaliter successores ex contractibus ex dolo eorum, qvibus successerunt, non tantum in id quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur afferit. Ex qvibus fluit regulariter in uni- versum heredes ex contractibus ob dolum defuncti in soli- dum teneri, & non minus stricti juris contractus, quam b. f. sub illa regula comprehendendi. Neque haec virtus clausula bo- na fide instrumentis inseri solita tribuenda: Hanc enim con- stituere actionem in heredes transitoriam, qvæ alias morte extinguitur, vero convenire non opinor. In Aurea, ut in- scribitur opus, Excellentissimi Juris Utriusque Monarchæ, famosissimi Dn. Angeli (qvem quoque Neoterici sequuntur,) alia hujus textus expositio reperitur: scil. si delictum in con- tractu commissum: aut dolus tum per actionem ex eo con- tractu est purgandus, & heres tenetur etiamsi nihil ad eum pervenerit, per L. 7. §. 1. ff. depos. L. 12. ff. de O. & A. L. 49. ff. eod. Aut per actionem de dolo, aut alia qvæ ex contra- ctu vel quasi non provenit, & tunc heres non tenetur, nisi qvatenus ad eum pervenit, vel dolo malo fecit, quo minus perveniret. per L. 28. de dol. mal. & §. 1. vers. aliquando Inst. de perpet. & temp. ast. Cujus doctrinæ subnectit rationem, qvia in his defuncti dolus dedit causam contractui b. f. ideo reddit retro nullum, & ideo agitur de dolo. Secus si dedit stricti juris contractui vel incidit in contractum, qvia tunc agitur actione ex eo contractu. Ubi profecto plura, qvæ ca- stigationem merentur, occurrunt. Incitatis enim textibus, heredem teneri, etiamsi nihil ad eum pervenerit, si dolus a- ctione ex contractu purgetur, ne litera qvidem exprimitur. Nam in L. 7. §. 1. ff. depos. An heres ob defuncti dolum, te- neatur solum pro ea parte, qvæ ad eum pervenit, qværitur, & heredem in solidum teneri deciditur. Si vero haec qvæstio esset mota, utrum heres teneatur ex contractu ob defuncti do- lum? non fuisset responsio, eum in solidum teneri, subsecuta.

Sic

Sic Pomponius L. 17. ff. de O. & A. ex contractu defuncti heredem in solidum teneri pariter sentit, adeoqve regulam tuetur, exceptionem verò non rejicit. Paulus in L. 49. de O. & A. heredem ex dolo defuncti teneri arbitratur, in quantum verò conveniri possit, aliunde erit petendum. Et quid præsidii ex §. 1. vers. Aliquando d. perpet. & temp. Att. de promant Angeli sectatores, & qvâ ratione inde: qvod si actio ex contractu non instituatur, sed alia vel etiam de dolo, qvod tunc heres non teneatur, nisi in quantum pervenit, nemo affequitur, cum dissentanea ibidem contineantur, expresseqve tradatur, qvod aliquando ex contractu actio contra heredem non competit. De actione itaqve ex contractu proficisciente non de alia accipiens est textus: Qvod verò de dolo causam contractui dante vel incidente immiscetur, ad hujus difficultatis declarationem nihil confert: Supereft itaqve ut textui fiat satis, & casus, quo actio ex contractu ob dolum defuncti adversus heredem non detur, inveniatur. Hac territi difficultate, nonnulli particulam *veluti* elidendam esse contendunt. Quidam verba *ex contractu*, non minus tamen absqve ratione & fundamento, expungenda esse arbitrantur. Wissenbach, ad hunc §. inquit: sed socorditer ille §. videtur descriptus ex L. 44 & L. 57. §. ult. d. R. I. qvod itidem ratione caret & nodus non solvitur sed scinditur. Matthæi v. Coll. Inst. 2. Disp. II. regulæ: qvod actio ex contractu, contra heredem etiam in solidum competit, subjungit: Exceptio est, aliquando in solidum adversus heredem non dantur: veluti si defunctus dolosè versatus est, sed aliquid tantum pervenit. Obft. L. 12. & 49. ff. de O. & A. L. 7. §. 1. depos. L. 15. §. f. L. 157. §. f. de R. I. conciliari hæc nullo modo possunt. Ubi in antinomia ejus paratissimum est refugium, & perspicuum, qmodo nostrum mutet textum. Nullibi enim legitur, qvod actio in heredem non competit, si ad heredem *non omne*, sed *aliquid tantum* pervenerit. Hoc enim juris textibus reluctari & conciliari non posse certissimum est. Sed actionem ex contractu contra heredes non competere, si defunctus dolosè ver-

versatus & ad heredes' nihil pervenit, legibus ut concordat, ita ut uniantur supersedeo. Quid tandem juvat nodum in scirpo qværere, magnumque in indagando exceptionis propositæ casu, vel exemplo studium impendere, cùm apertè satis à Justiniano exprimatur. Leges enim qvæ nostro §. adversari censentur, ut l. 7. §. 1. ff. depos. L. 12. § 49. ff. d. O. § A. hanc complectuntur regulam : *Actio ex contractu de dolo defundi adversus heredes in solidum datur, non tantum pro ea parte, quæ ad eos pervenit.* §. autem 1. de perpet. § tempor. act. hæc extat propositio : *Actio ex contractu non competit adversus heredes de dolo defuncti, si nihil ad eos pervenit.* Qui oppositarum Leges novit, nullam inter utramque intercedere contradictionem, & utramque posse veram esse animadvertis. Et diversa esse : actionem ex dolo defuncti dari adversus heredes in solidum, si aliquid ad eos pervenerit; & non dari, si nullum heres habeat emolumenntum : manifestissimum est. Utrumque LL. conforme, & alterum non est alterius exclusivum. Hinc Theophilus qui felicissimè κτπόδα Institutiones Imperiales interpretatus est, ad meliorem hujus versiculi notitiam, juxta versionem latinam inquit : *Actiones verò quæ ex contractu nascuntur, citra impedimentum & heredibus & in heredes dabuntur.* Videas tamen interdum, ubi nec actio ex contractu in heredes detur : Nam si rem apud te deposituerim, ac deinde dolo tuo vel omnino interversa fuerit, vel deterior facta, nec inde emolumenti aliquid ad heredem tuum pervenerit, actio ne depositi non tenebitur. Et tamen depositum contractus est. Ubi Car. Annib. Fabrotus judicat priora non esse Justin. sed παρεμβεβλημένοι, posteriora tamen non rejicit, sed juxta verba & mentem Institutionum, sua quoque roborat autoritate. Ita se res habet : Actiones ex delictis ideo in heredes non transeunt, qvia in illis, qvæ merè personalia sunt, heres non repræsentat personam defuncti. Qvod in contractibus secus est, ubi maleficium qvod inest, non est per se, nec propriam naturam retinet, sed ejus contractus induit, cui inest. In contractibus qvidem afficitur itidem persona, sed hoc fit propter

pter res, ut scil. aliquid fiat vel detur, tanquam contractus ob-  
jectum & finem, adeoque patrimonium defuncti, cuius, quod  
ex dolo pervenit, pars est, afficitur, quod cum commodo &  
onere ad heredes transit, per L. 7. §. 1 ff. depos. Ubi itaque ni-  
hil ad heredes pervenit, ratio quemadmodum cessat, ita & a-  
ctio ad heredes non pertinet. Hac ratione expungenda non  
sunt verba : *ex contractu*, neque etiam particula *veluti* adi-  
menda, quae in nostro textu non est exemplificativa, ut Cuja-  
cius metuit, sed expressiva veritatis. Gloss. in L. 3. voc. *veluti*  
*C. d. agr.* & *Cens.* ut sensus sit : actio ex contractu, si defunctus  
dolose versatus, & nihil ex dolo ad heredes pervenerit, adver-  
sus heredes non competit. Occasionem vero saepius recitat⁹ §.  
interpretandi præbuit Nobilissimus & Clarissimus

**DN. CHRISTIANUS FRIDERICUS**  
**BEER BALCK,**  
**Sanderslebia Anhaltinus.**

**Utriusque Juris hactenus strenuus Cultor.**

Qui Illustris olim Antecessoris DN. GEORGII ADAMI  
STRUVII, magnæ memorie Viri, Dissertationes Criminales  
publicæ disquisitioni submittere constituit, meamque in eo  
negotio opem imploravit ; non potui minus quam tam  
æquo illius desiderio, cuius mihi semper maxime grata acci-  
dit consuetudo, ac ob non infucatum mihi exhibitum affe-  
ctum promptè annuere. Laudabili ejus conatui, ut Commilito-  
nes Nobilissimi faveant, maximo rogo opere. Dab. in ACAD.  
SALAN. III. Cal. Maj. A. O. R. MDC XCIV.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-606884-p0017-6

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-606884-p0018-2

DFG

**ULB Halle**  
006 609 473

3



Mus 11+6

KD17




## FarbKarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black

Centimetres      Inches



6